

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Illvstrivm Virorum Epistolae, Hebraicae, Graecae et Latinae, Ad Ioannem Reuchlin Phorcensem virum nostra aetate doctissimum diuersis temporibus missae

Reuchlin, Johannes

Hagenoae, 1519

Ioannes Molitorius I. V. doctor, Badensis decanus, Ioanni Reuchlin Phorcensi. S. P. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-270838](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-270838)

IO. REUCHLIN LIBER PRIMVS

doctor egregie, si qua alia in re mea tua erga me beneuolentia opus fuerit opera, ne me lateat obsecro, nullam profecto rem neque tam magnam, neque tam parua putem, quae mihi aut difficilis aut parum me digna uideatur. Quippe omnia quae in tuis rebus agam non laboriosa mihi sed honesta uidebuntur. Nullum me Hercle in te officium sine maxima culpa uideor posse praeterire. Vale. M. cccc. lxxxviii. Kal. Ia.

Petrus Iacobi Arlunensis. I. v. Doctor praepositus in Baknaug, Ioanni Reuchlin Phorcenfi S. D. P.

LEgi summa cum uoluptate luculentissimam tuam ad Diuum Alexandrum orationem, Qua in defensione iustissimi Principis sacerdotii defensoris ita euectus es, ut nemo esse queat qui eum pro te constantem defensum neget. Gaudeo mihi, gratulor ecclesiarum causis, quod tantum principem non oppressorem ut multi, sed acerrimum uindictorem habeamus. Cupio oino atque id ex te cotendo, ne me huius elegantissimae orationis copia fraudes, at potius perpetuum tuum in me amoris monumentum manu excribas. Ego nunc equum abiturus conscendo, post triduum rediturus, tu interea charissime frater foeliciter Vale. Quod si scirem te me hac tua oratione priuaturum, uterer in ea iure tuo, qui ea soles lege aliorum capere libros, ut si tibi placeant, restituas nunquam.

Ioannes Molitorius. I. V. Doctor, Badensis Decanus, Ioanni Reuchlin Phorcenfi. S. P. D.

ACcepi iam pridem egregie doctor suauissimas tuas literas, quibus mihi non satis digno humanissime gratulatus es, quae longe maiorem mihi attulissent iucunditatis usuram, si me non adeo linguae graecae doctum existimasses, ita enim usum uenisset ut eam uoluptatem quam non solum in uerbis Hippocratis, sed & aliis quibusdam reconditam puto, amicissimo tibi uiro communicasses. Cui pene omnia elementorum graecorum non nina iam dudum exciderant. Fac igitur quae tibi remitto graeca ad me traducta rescribas, & ego tibi quom primum ad me diuerteris, cum iis quae a me aliquando comodato cepisti, quod tuum est reddam, simulque pulcherrima quaedam graeca prouerbia, a me tamen minime intellecta ostendam. Scribis te ignem diutius continere nequiuisse, & id huiusmodi graeca sententia comprobas, quae ego non calleo *Νῦν ἐγὼν ἐν ἔρωτα καρπὸς θεός* Sed nec Hippocratis *Ἔβα* in hac forma a te scripta *Μακάριοί τε ὅμοιοι, ὁκόσοι ἴσασιν ἔως ἀπαύδης ἀνδρας ἔργατα αὐτῶν ἢ ὅρις πύργου ἔδὲ τὰ τείχεα ἀλλὰ*

EPIS. ILLVST. VIRORVM AD

σφδρ ἀνδρῶν σφὰσ γνώμας. Vides qua sim imitatione in formandis his characteribus usus, facileque cognoscis, quam sit græcarum litterarum ignarus, qui eas nunquam ne in minimo quidem didicisse uideatur. Vale, anno M. CCCC. lxxxviii.

Adam Frei Phorcensis, Cantor ecclesiæ collegiatae
Cancellariusque Badensis S. D. Ioanni
Reuchlin LL. Doctori.

Literas proxime ad me datas, eximie Doctor, fraterque obseruandissime, & si aliquatulum me quum in suscipiendo Badensis Cancellariæ officio meum statum clericalem pluribus, ut ais, commiscuerim secularibus negociis increpent, tamen mihi iucundissimas fuisse certo scias uelim, cum quod in causarum Sturgardiensis consistorii strepitu, mei memoriam habueris, tum quod meis in laboribus diuina ne negligant hortatus sis, quod non ab infido ac parum prudenti, sed ex fideli longeque in futurum prospiciente aïo prodiisse plane accipio, agoque tibi gratias utinam dignas, Sed hoc unum, mihi credas, uelim, si ea in te illis principis domini que mei clementissimi uoluntati mea potuisset optio mediis congruis restituisse, tuæ literæ nihil loci corripiendi mei reperissent. Nam qui me eum honorem, uel laborem potius aut si mauius commodum quod inde sit ambiuisse uere dicat, uiuit omnium nemo. Nihil enim aliud hæcenus cupiui, & ad huc cupio, quæ eam agere uitam quæ beneficiatum deceat. Verum hac in re longe aliter meo iudicio sentio quæ plures comitis Wuirtembergensis curiales in sacris constituti (quod pace eorum ad te scribo) præ se ferunt, a quibus inuehendi aduersum me non arbitror te sumpsisse exemplar. Sed digito compeasco labellum, ne alios arguendo uidear meipsum reprehendere, quando quidem officium calami susceperim. At suscepi, non eo tamen animo (certiorem te reddo) quo tu putas ut perpetuo scribam, sed ut aliquandiu alterius uices geram. Et pro beneficiis mihi a præfato illustri principe collatis gratias, si quas potero referam. Reliquum est ut officio atque opera mea & si parui precii sint, pro tua uoluntate utaris. Vale xii. Calend. Martias. Anno M. CCCC. lxxx nono.

Erhardus de Vuindsberg Doctor & Miles, Ioanni
Reuchlin Phorcensi S. D.